

sibi profitebatur et partim auguriis partim coniectura quae essent futura dicebat, et in Persis augurantur et divinant magi, qui congregantur in fano commentandi causa atque inter se conloquendi, quod etiam
91 idem vos quondam facere Nonis solebatis; nec quisquam 5
rex Persarum potest esse qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit. Licet autem videre et genera quaedam et nationes huic scientiae deditas. Telmesus in Caria est, qua in urbe excellit haruspicum disciplina; itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iami[n]darum 10
unam, alteram Clutidarum, haruspicinae nobilitate praestantes. in Syria Chaldaei cognitione astrorum
92 sollertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de caelo tacta scientissime animadvertit eademque interpretatur 15
quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. quocirca bene apud maiores nostros senatus tum cum florebat imperium decrevit ut de principum filiis x singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum 20
a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum. Phryges autem et Pisidae et Cilices et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Umbria
42 accepimus. 25
93 Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum oportunitates esse ductae. etenim Aegyptii, ut Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra